

Copyright information

Schwabe, Ludwig, 1835-1908.

Geschichte der archaeologischen Sammlung der Universität Tübingen
Tübingen, 1891.

ICLASS Tract Volumes T.39.9

For the Stavros Niarchos Digital Library Euclid collection, [click here](#).



This work is licensed under a [Creative Commons Attribution-NonCommercial-NoDerivs 3.0 Unported License](#).

This book has been made available as part of the Stavros Niarchos Foundation Digital Library collection. It was digitised by UCL Creative Media Services and is copyright UCL. It has been kindly provided by the [Institute of Classical Studies Library and Joint Library of the Hellenic and Roman Societies](#), where it may be consulted.

Higher quality archival images of this book may be available. For permission to reuse this material, for further information about these items and UCL's Special Collections, and for requests to access books, manuscripts and archives held by UCL Special Collections, please contact [UCL Library Services Special Collections](#).

Further information on photographic orders and image reproduction is available [here](#).



With thanks to the Stavros Niarchos Foundation.



UCL Library Services
Gower Street, London WC1E 6BT
Tel: +44 (0) 20 7679 2000
ucl.ac.uk/niarchoslibrary



NOT TO BE
REMOVED
FROM THE
LIBRARY

9

RICARDO · LEPSIVS

VIRO · INLVSTRISSIMO

HONOREM · DOCTORIS

ANTE · ANNOS · QVINQVAGINTA · ACCEPTVM

GRATVLATVR

INSTITVTVM · ARCHAEOLOGICVM

GERMANICVM

QVOD · ROMAЕ · CONSISTIT



ROMAE

APVD · SALVIVCCIVM

A · MDCCCLXXXIII

HON

ANT

INST

RICARDO · LEPSIVS

VIRO · INLVSTRISSIMO

HONOREM · DOCTORIS

ANTE · ANNOS · QVINQVAGINTA · ACCEPTVM

GRATVLATVR

INSTITVTVM · ARCHAEOLOGICVM

GERMANICVM

QVOD · ROMAE · CONSISTIT

Jordan

ROMAE

APVD · SALVIVCCIVM

A · MDCCCLXXXIII

DE FO

Instit
tibi, vir i
ginta ann
amore nec
vestigandi
plexatum.
recordame
monument
accessit ad
romanum
redivivum

Haud
mina ad P
esse duo i
lica Julia
a basilica
a. 1882 fo

H. IORDANI

DE FORMAE URBIS ROMAE FRAGMENTO NOVO DISPUTATIO.

Instituti germanici quod in Capitolio consistit socii cum tibi, vir inlustrissime, doctoris honorem ante hos quinquaginta annos acceptum gratulantur, sciunt ingenti te olim amore neque hercle exigua difficillimas res quaerendo investigandi dexteritate aeternae urbis monumenta esse amplexatum. Itaque iucundum tibi classicae illius aetatis tuae recordamentum posse parari visum est edito et enarrato monumento quodam romano, quod praeter expectationem accessit ad inluminandum celeberrimum urbis locum, forum romanum magnum, quod ultimorum annorum eruderatione redivivum factum est.

Haud enim ignoras inter formae urbis marmoreae fragmina ad pedem muri eius, quem olim contexit, inventa esse duo in quibus et [*Conc*]ordia et [*aedes Sat*]urni et b[*asi-*lica I]ulia et pars dimidia templi Castoris, quod vico tusco a basilica dirimitur, effictae extent. Iam die 3. m. Aprilis a. 1882 fossores, dum parietinas, quae ab oriente templi

Castoris media aetate tantum non omnes e veterum aedificiorum reliquiis extractae sunt disiciunt, casu permiro eiusdem formae frustulum invenere, in quo templi Castoris pars altera cum nomine ipso [*aedes? C]astoris delineata est. Adservatur hoc frustulum nunc eodem loco quo cetera formae fragmenta, in museo Capitolino. Sed quoniam spes est fore ut mox nova reperiantur eodem loco quo reperta sunt vetera, placuit eis, quibus urbanorum museorum cura competit, nunc quidem frustulum hoc novum non conectere cum illis veteribus: intulerunt igitur scrinio cuidam in quo paucae quaedam aliae res antiquae recens inventae adservantur, donec suo cuique loco aliquando omnes restituantur. Edidit frustulum novum una cum altero, quod ei proxime accedit, Ridolfus Lancianus in mensilibus italicarum eruderationum indicibus quae *Notizie degli scavi* inscribuntur a. 1882 m. April. tab. XIV photographo exemplo: ego ut iterum eadem ederem expressa ex chartaceis ectypis ea re maxime commotus sum, quod his ipsis diebus mihi cum Henzeno licuit novum fragmentum cum vetere comparare. Quo negotio hoc certissime apparuit eiusdem esse formae utrumque, quam quidem inter annos p. C. n. 203 et 211 marmori incisam esse constat. Scito enim Horatium Marucchium cum alibi tum in libro utili, quem inscripsit *Descrizione del foro romano* p. 63, novum fragmentum coniecisse superesse de forma urbis antiquiore illa, quam suspicati sunt multi imperatorem Vespasianum marmori incidendam curasse. Cuius coniecturae causas ille ibi adscripsit duas: primum enim plane diversa ratione utriusque fragmenti artificem rem egisse, eiusque diversitatis testem fecit quod ipse edidit eorum exemplum; deinde inventum esse novum*

fragme
stimonian
bra post
la piante
et exem
bitur: h
Lanciani
haec scr
tardi, se
lis anni
secutus
mine ec
accepi q
licet mun
extant in
septimo
consutos
et vetus
adservat
cum cete
busque p
aestimav
riam esse
forma es
ter 70, h
severiani
architect
eos fuiss
Dein
dendi ta

fragmentum - utar verbis ipsius Marucchii - *secondo la testimonianza dei sorveglianti dentro un muro che non mi sembra posteriore al secolo quarto e quindi di un'epoca in cui la pianta di Severo era ancora integra.* Illud quo pertineat et exemplum nostrum aperiet et accuratius infra explicabitur: hoc non solum propterea falsum esse adfirmo, quod Lancianus in Notitiis supra laudatis p. 233 de muro illo haec scripsit *sembrava costruzione del secolo VIII al più tardi*, sed etiam propterea quod ipse, dum die 4. m. Aprilis anni praeteriti, hoc est eo qui eruderationis diem insecutus est, parietinas illas partim disiectas anquiro, ab homine eo qui fossorum operi curando praefectus erat ea accepi quae Lancianii sententiae prorsus gemina erant. Scilicet murus iste fuit e genere eorum, qui multi nunc quoque extant inter Castoris aedem et sacram viam, quos saeculis septimo octavoque ex ruderibus veterum aedificationum consutos esse certum est. Comparasse nos fragmenta novum et vetus supra dixi. Licuit enim novum e scrinio, in quo adservatur, deportare in scalas musei, quarum parieti vetus cum ceteris omnibus est insertum. Ibi utrumque oculis manibusque pertemptavimus, ectyporum nostrorum fidem accurate aestimavimus. Iam primum certum est novi fragmenti materiam esse marmor lunense eiusdem generis unde severiana forma est facta, crassumque esse marmor millimetris circiter 70, hoc est paene eiusdem mensurae, quam in lapidibus severianis eis, qui anno 1867 in lucem redierunt, Tocco architectus observavit: dixit enim 80 millimetris crassos eos fuisse (v. *Forma urbis* p. 1 § 2).

Deinde quae cernitur in novo fragmento ratio incidendi tam lineas quam litteras, ad unguem convenit cum

severianae formae fragmentis: utrobique eadem festinatio, litteraturae vocabuli [C]astoris prorsus geminus litteraturae vocabulorum severianae formae ductus. Duabus solum rebus nova pars formae templi Castoris a vetere differt: primum eo quod is qui veteris fragmenti partem deperditam ope vaticanae schedae instauravit, bases columnarum lineasque quibus gradus scalarum et margo templi significantur colore rubro inunxit: unde accidit ut si utrumque fragmentum in exemplo photographo comparaveris, vetus a novo coloris subfusi genere diversum esse videris. Praeterea suspicor eundem illum diorthotam bases illas paulo altius lapidi impressisse, quo genere instaurandi in aliis quoque formae fragmentis eundem esse grassatum scimus. Deinde in novo fragmento bases duplici marginis lineae adsertae sunt, in vetere a simplici paulum distant. In vetere igitur fragmento artifex lineam eam quae graduum finem significat ad bases perducere omisit. Discrepantia tam exigua potuisse aliquem commoveri ut formae templi alterum frustum severianae aetati, frustum alterum vespasianae adscriberet audimus: sed eidem miramur quod multo maiores in ceteris formae severianae fragmentis discrepantiae hominis docti illius oculos non adverterunt quodque non dubitavit statuere posse Vespasiani formam litteraturae, incisionis genere, modulo, marmore formae saeculi tertii prorsus geminam fuisse. Nos contra rem nullis stabilitam rationibus plura disputare omittimus. Didicimus igitur novo exemplo post interitum imperii romani ut statuarum, fastorum aliorumque titulorum, ita formae quoque fragmentis aedificationes novas suscitatas esse. Nec mirum est a templo urbis, quod e regione erat, unum al-

terumve veterum lapidum fragmentum abstractum esse in templorum Castoris Vestaeque viciniam.

Reliquom est ut quid novi de antiquis monumentis testificetur fragmentum novum, paucis doceamus. Veteris frustuli partem nunc perditam ut par est exhibemus ex vaticano codice descriptam, non ex novicio lapide, quem constat neglegenter ex hoc archetypo esse instauratum. In illo codice lateri templi ei quod occidentem versus directum est undecim columnae attribuuntur, non decem: vides in tabula nostra eundem columnarum numerum in altero latere comparere. Vides eum qui formam lapidi inscripsit caput rei accurate effinxisse, in rebus levioribus, eundem solito more neglegenter vel potius festinanter opus effecisse. Nam cum curaret ille ut, quibus schema templi continetur, numerus columnarum, cellae ambitus, opus scalarum cum ara, recte comparerent, idem parum curavit angulos ut accurate dirigeret, spatia quibus columnae dirimuntur aequaliter dimetiretur. Ita factum est ut frons templi postico brevior evaderet, latus quod orientem spectat longior occidentali. Sed columnarum numerum, qui aedem celeberrimam ambiebant, eum ipsum fuisse, quem forma antiqua exhibet, octonarum in fronte, undenarum in latere, primus exactis mensuris et postico templi a parte occidentali pertemptato et eruderato effecit vir incomparabilis Carolus Fea adiutus tum temporis Mazoisii et Landonii consiliis et experientia. Cuius inventi rationem ille reddidit in libro qui inscribitur *Frammenti di fasti consolari e trionfali* tab. II et pp. XI et CXXIII. Non mirum est quod multi, qui de aede Castoris verba fecere, aut numquam videre istum librum aut futtili opera mensuras ibi expositas repudiarunt. Qua de re dictum est

Formae meae p. 25 s. Sed his ipsis diebus feliciter accidit ut Ernesti Fabricii v. d. opera peritiaque quam maxime adiutus de veritate rationum a Fea initarum etiam longe certiolem sententiam ferre potuerim. Qua de re quae sufficiant exponam. Dimensi igitur sumus primum frontis laterisque occidentalis templi spatia. Est illud longum metr. 28,16, hoc, si mensuram a primo scalarum gradu ad eum locum perduxeris ubi nunc substructio postici finit, metr. 45,50. Latera basium columnarum sunt longa metr. 2,06 vel 2,07, distant inter se metr. 1,619: efficitur ut columnae octo frontis spatium occuparint metr. 28,55, columnae undecim lateris spatium metr. 39,66. Iam in fronte numeri utriusque qui sunt metr. 28,16 et 28,55 ea est differentia ut de octastylo templi schemate dubitari non possit. De latere ita iudicandum est. A longitudine operis superstitis, quod dimensi sumus in metr. 45,50, deducenda est scalarum mensura metr. 11,24: fiunt metr. 34,26. Rursus addendum est spatium id quod a fine substructionis operis incerti pertinet ad finem basilicae Iuliae, cui posticum templi Castoris secundum formam antiquam exaequatum fuit. In hoc spatio quod extabat opus quadratum videtur destructum esse item uti in lateribus. Latum est hoc spatium metr. 6,88: longum igitur fuit latus in quod undenas columnas constitisse sumimus metr. 41,14. Sed rursus ab hac mensura deducenda sunt metr. 1,50 quod est spatium quo basis columnae superne conlocatae distat a margine externo baseos parastatae, qua stylobates infra decorabatur: fiunt metr. 39,84: quem numerum si contuleris cum eo quem metiendo tribuimus lateri aedis praeter scalas metr. 39,66, non dubitaveris quin Feae de undenis lateris columnis rationes rectissime habeant: rectis-

sime igitur schema templi in forma severiana effictum est. - Nil dico de cellae muro, de opere scalarum, de ara ei imposita : in commentariis Formae meae significavi diversum quod nunc aspiciamus scalarum schema, ara privum, posterioribus esse aedificationibus concinnatum. Ad ea convertat oratio quae nova sunt in frustulo novo.


Posticum templi Castoris viam publicam praeterisse eiusdem Feae constabat opusculo : extat huius viae forma in frustulo novo. Sed prorsus ignorabamus viam eam, cuius in latere templi orientali comparent reliquiae, non ultra perrexisse ad montem Palatinum. Nunc clarissime adparet, quod olim suspicari licebat, noviciam esse horum silicum originem, accessisse autem aedi Castoris ab oriente aream aliquot aedificationibus minoribus occupatam. Item nunc demum comperimus a foro sacrae viae ad Palatinum montem hac regione clivum pertinuisse sive potius gradus quorum in frustulo novo forma cernitur. Monuit Lancianus loco supra indicato horum graduum partem superiorem nunc quoque superesse. Qui gradus si linea recta descendere ad forum, per eam regionem, quam nunc ecclesia s. Mariae Liberatricis occupat, devenire ad templum Vestae, cuius rudera nunc extant. Is locus abest a templo Castoris metris circiter 50 : in forma absunt gradus cum via millim. 44, hoc est ipsius huius mensurae parte paene tercentesima. Vides quam accurate artifex antiquus opus effecerit. Medio fere inter gradus et aedem spatio comparet aedificium paene quadratum amplum circiter si rursus modulum formae respexeris metr. 10×10 . Ascenditur ad id duplicibus utrimque scalis graduum quaternorum : supra extant sive bases sive arae binae. Portae, qua a scalis introrsus

aditus pateat, quoniam nullum comparet vestigium, hoc aedificium modice sublatum non dixeris domum, cellam, aediculam esse: longe similis est veri podii suggestusve nomine esse significandum. Huius aedificii vestigia si extant, invenientur sub porta ecclesiae s. Mariae Liberatricis, quam sunt qui sperent deiectum iri proximo tempore. In litterarum antiquarum memoria aedificii huius nullum inveni vestigium. Frivola igitur omnis de eo coniectura.


Denique quaesiveris utrumne artifex [C]astoris vocabulum templo ascripserit solum an [aedes c]astoris dederit. Mihi videtur hoc fecisse more sollemni. Aedis vocabulum omitti videtur in formae fr. 2 ubi *Minerbae* aedi aventinensi adscriptum legimus, item potest vel aedis vel sacelli significatio deesse in fr. 25 [L]ibertat[is]. Sed et in frr. 6. 53. 96 scribitur in *Tell[ure]* - aedes, aedis *Iovis* - aedis *Iunonis*, *tem[plum] di[vi..?]*, et in eo fragmento quod cum nostris artissime coniunctum est non dubito quin [aedes Sa]turni ita scriptum fuerit, ut prius vocabulum secundum vicinum vocabulum [Conc]ordia pertinuerit. Quod si erat, Saturni Castorisque aedium nomina ita porrigebantur in aream fori, ut in medio spatio potuerint scripta esse quae olim dixi videri de fori nominis superesse frr. 68. 69 [forum] | ma[gn]um.

Scriptum Romae m. Aprili a. 1883.

n, hoc
cellam,
gestusve
ia si ex
ratrixis,
ore. In
lum in-
tura.
s voca-
dederit.
abulum
aventi-
l sacelli
a fr. 6.
edis Lu-
um nos-
des Sa]-
dum vi-
si erat,
antur in
sse quae
68. 69







Bo

XST.30

OVERBECK'S
TRACTS

39

BIOGRAPHY
&c.



Digital ColorChecker® SG



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10

A B C D E F G H I J K L M N

gmb
GRETAGMACBETH

